



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 81. Controversia circa explicationem verborum ex capite sexto S.
Joannis relatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

scrimine facto quandoque de debita carnem suam manducandi, simulque sanguinem suum bibendi necessitate, quandoque autem de sola Corporis sui manducatione loquebatur, ex quo probatur, quod hoc postremum sufficiat.

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

§. LXXXI.

Controversia circa explicationem verborum ex capite sexto S. Joannis relatorum.

Huic sententiæ Granatensis Archiepiscopus eadem opponebat, quæ jam antea Jacobus Maria Sala Vivariensis Episcopus objectabat, hæc asserens:

Pall. cap. II. n. 3. & 4. Sarpus pag. 518.

„in eo capite S. Joannis intelligitur a multis Patribus non esus, & potus sacramentalis, sed spiritualis, carnis & Sanguinis Christi, seu fides sub alimenti metaphora, proinde contraria interpretatio non est a Concilio statuenda. Postea allegabat S. Augustini testimonium unacum tot aliis argumentis, ut ea discuti haud possent intra biduum, quantum scilicet erat temporis usque ad præstitutam Sessionem, quocirca Cardinalem Seripandum, qui huic peculiari cœtui Præses aderat, ingens incessit metus, ne Sessionis differendæ prætextus quæreretur: quinimo eundem quoque subiit suspicio, ne il-

L 3 lam

Sæcul. XVI. lam moram Granatensis Archiepiscopus studiose iniecisset, cum jam antea
 A. C. 1562. ejusmodi dilationem petiisset: quam
 ob rem nihil cunctatus Cardinalis, mode-
 deste respondit: „Si Patres, qui de-
 „creta illa elaborarunt, auditi, atque
 „omnes, quibus ipsi quodlibet decreti
 „verbum discutiebant, adnotationes
 „maturius fuissent ponderatæ, tunc nulla
 „in illis dubitatio amplius foret: ce-
 „terum video, duo esse litigia de illo
 „S. Joannis capite, nam unum est cum
 „hæreticis, an ibi ex Divino præcepto,
 „& ex necessitate salutis cunctis fide-
 „libus præscribatur Eucharistiæ sumptio
 „sub utraque specie: alterum vero ver-
 „satur inter Catholicos, an in illis
 „Christi verbis: *nisi manducaveritis &c.*
 „sermo sit de Communione Sacramen-
 „tali, vel de sola spirituali: porro illi
 „Patres, qui hoc decretum confece-
 „runt, hisce Divi Joannis verbis unice
 „ideo utebantur, ut hæreticis ostende-
 „rent, quo pacto, etiamsi ibi locutus
 „dicatur sanctus Joannes de ipsa sum-
 „ptione Sacramenti, falsa sit consecu-
 „tio hæreticorum pro absoluta necessi-
 „tate Calicis ad salutem: de cetero
 „autem hi Patres nullatenus intende-
 „bant, hanc quæstionem inter Catho-
 „licos controversam decidere, utrum
 „in Divi Joannis textu de communionem
 „Sa-

„Sacramentali, vel Spirituali agatur: Sæcul. XV.
A. C. 1562.
 „quapropter omnes rogo, ut a novis
 „ejusmodi cavillationibus abstineant,
 „nec committant, quatenus Sessio to-
 „ties protelata, totque votis jam diu
 „exoptata, denuo spem aliorum fallat,
 „fidemque ipsorum promissis adimat
 „cum immenso Concilii dedecore.,,

§. LXXXII.

*Justinopolitani Episcopi opinio
neglecta.*

Aliam insuper mutationem propone- Pallav. c. II.
num. 5.
 bat Thomas Stella Justinopolitanus
 Antistes circa primum doctrinæ caput,
 ejusque verba postmodum referenda,
 in quibus dicitur: *Etsi Christus Dominus
 in ultima Cæna venerabile hoc Sacramen-
 tum in panis, & vini Speciebus instituit,
 & Apostolis tradidit, non tamen ea insti-
 tutio, & traditio eo tendunt, ut omnes
 fideles statuto Christi Domini ad utramque
 speciem accipiendam adstringantur: opta-
 bat enim hic Præsul, ne Synodus ute-
 retur in eo affirmando tam jejuna ra-
 tione, sed declararet, Christi verba
 bibite ex eo omnes, ex quibus deducunt
 hæretici universalem Calicis necessita-
 tem, non ad cunctos fideles dicta fuisse,
 sed ad Apostolos, & in ipsis ad solos
 Sacerdotes: nec tamen propterea quic-
 quam in hoc decreto fuit immutatum.*

L 4

§. LXXXIII.